

HINCMARI DE PRÆDESTINATIONE^a

CONTRA GOTHESCALCUM

LECTORI

De priore Hincmari opere contra Prædestinatianos.

Duplex fuit Hincmari adversus Prædestinationos lucubratio. Una tres libros continens, pro defensione Carisiacensium ejus Capitulum contra Gothescalcum, quæ Lugdunenses scriptis suis impugnant. Altera non libris distincta, sed capitibus octo et triginta, cum Lugdunenses iterum adversus Hincmarum insurgerent. Atque hæc posterior illa est Dissertatio quam in hoc volumine integram repræsentamus ex codice sancti Remigii Rhemensis, vel Hincmari potius, a quo librum monasterio illi datum docet inscriptio. Prioris autem operis sola, quod sciam, apud Flodoardum restat epistola seu præfatio ad Carolum regem, quam ad jacturæ solatium hoc loco exhiberi visum est operæ pretium.

HINCMARI EPISTOLA AD CAROLUM REGEM

Priori ejus contra Prædestinationos Operi præfixa.

Domino glorioso regi CAROLO HINCMARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus ac plebis Dei famulus, una cum collegis domnis et fratribus meis venerandis episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ devotis.

Deo gratias agimus qui cor vestrum ad amorem suum accendit et ad cognitionem veritatis et orthodoxæ fidei scientiam et diligentiam ignivit: prudentiam quoque et intelligentiam vobis in litteris divinitus inspiratis donavit, et in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro rei publicæ negotiis licet, studium vestræ devotionis quotidiano augmento ad utilitatem sanctæ suæ Ecclesiæ provehit. Cæterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet provinciarum, sicut ibidem continetur et inferius scriptum invenietur, vobis delata, quæ nostræ humilitati juxta Scripturam præcipientem: *Interroga sacerdotes legem meam (Aggæi 11, 12)*, quia et fidei legem esse legimus, præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda et ventilanda dedistis, revolvimus. In quibus nos, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus velut non catholicos reprehensos, et sine fraternitatis respectu despectos reperimus. Capitula quoque, quæ ob notam vobis et infra innotescendam necessitatem, ex catholicorum Patrum sensibus et verbis excerpimus, velut inutilia, imo noxia repulsa et abominata inve-

nimus. Quæ capitula, sicut a nobis excerpta sunt suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur in quorum manus illorum capitula devenirent; sed quædam de his quæ in capitulis a nobis excerptis habentur, alio sensu et aliis verbis tetigerunt ut abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt, et taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum Patrum sensa in Africana et Arausica synodo senserimus. De quodam autem capitulo, id est, quod omnes homines vult Deus salvos fieri licet non omnes salventur, funditus tacuerunt, sicut postmodum signantius demonstrabimus; cum Dominus dicat: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipas, et ædifices, et plantes (Jer. 1, 10.)* Prius enim, si de conscientia recta intelligentiæ fuere confisi, ponentes ea quæ destruere, nitentur, sicut illa cum integritate sua acceperant, in quibus evellenda et dissipanda erant legentibus demonstrare, et tunc illis per auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter et ordinabiliter plantare debuerant ac in sublime ædificantes extollere.

De quodam etiam capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt ut legentes hoc a nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil a nobis est memoratum: et quare nihil a nobis inde sit dictum, et in cujus scriptis a nobis, postea quam illa capitula scripsimus, sit inventum,

^a Flodoardus, lib. III Historiæ Rhemensis, cap. 15, de libris ab Hincmaro compositis: *Composuit volumen ingens plures continens libros de Prædestinatione Dei et libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos episcopos, maximeque contra Gothescalcum at-*

que Ratramnum monachum Corbeicensem, ad Carolum regem. Idem ibidem cap. 16: Item aliud edidit volumen insigne ad eundem regem, contra præfatum Gothescalcum et cæteros prædestinatianos.

suo loco dicemus. Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari: de quibus nihil audivimus, vel vidimus, antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus episcopus vobis ea, quasi a bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum capitulorum auctorem nec ibi adnotatum invenimus, nec cum multum quæserimus, invenire valuimus. Unde putavimus quia alicujus invidia ad cujusquam opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus. Ut de multis pauca commemoremus, veluti epistola capitulorum exstitit, quam venerabilis Ibas episcopus suam esse in synodo denegavit; et sicut quidam æmuli de verbis beati Augustini adhuc in sua vita fecerunt, quæ ille argute et catholice repulit, quantum ad illius notitiam exinde pervenit. Post ejus etiam obitum, quidam invidi capitulatim de ipsius scriptis, ex his etiam unde nunc agitur, colligere curaverunt, ut illius doctrinam orthodoxam atque utilissimam ob personæ illius invidiam vilifacere prævalerent, et lectores devotos ab illius dilectione ac lectione et necessaria credulitate averterent. Quæ videlicet æmulum mendacia, ex delegatione sanctæ sedis Romanæ per Cælestinum papam, sanctus Prosper catholico et prudenti stylo falsa esse et imprudenter objecta ostendit, et memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissime demonstravit. Unde et fieri potest, ut ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis delata vel transmissa sunt, taliter in suggillatione nostra conscripta non fuerint, sed instigante diabolo, inter cætera mala quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta, qui charitatem vehementer in nobis et timet et invidet, cum videt illam a nobis servari hinc in terrenis in terra, quam ille servare nolens angelicus spiritus amisit in cælo. Quomodo enim fieri posset ut sic fratres nostri nos succensorie cum annihilationis despectu judicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continue præ oculis et in usu quotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt: *Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris, corripe juste* (Eccli. xi, 7).

Sanctus enim Augustinus hæreticorum et reprehensorum suorum scripta, et in eis quiddam benedictum invenit, benignissime acceptavit, et plura ad rectos sensus interpretari elaboravit, nulla autem de recto sensu ad pravum inclinare tentavit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum evangelicam regulam vel viva voce, vel scriptis suis inde interrogarent, ut vel volentes docere docerent, vel pravum sentientes, et ad tramitem veritatis et fidei redire contemnentes, fraterne et sæpius commonerent, et auctoritatis divinæ et sanctorum Patrum scripta nobis proponerent, et ut in unum conveniremus nos cum mansuetudine et lenitate invitarent, scientes quia episcopus ideo ad-

A synodum consacerdotum debet venire, ut aut discat aut doceat? Litteras namque quorundam eorum quidam nostrum benignas et fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus, et nihil de tale eorum patre perspeximus, audivimus, intelleximus, sensimus, vel percipere prævaluimus. Si autem talia scripserunt, si forte illi scripserunt, ut suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, et plus de jactantia laudis appetitum quærent, quam bona nostra et bene a nobis dicta, si forent, per charitatem sua facerent: si etiam secus a nobis dicta invenerunt, plus illa publicare quam nos fraterne corrigere maluerunt: miramur de tantis et talibus viris, archiepiscopis et episcoporum primoribus, maxime autem de Ebone, qui religiosus est, ut audivimus; quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione et habitu regulari nutritus in Rhemensis Ecclesiæ monasterio, ubi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque a domno Ebone avunculo suo, tunc Rhemorum archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, et abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum et gubernandum constitutione episcopali est ordinatus. Quemque ita humilitatis tenore nutritum, et humilitatis locum appetere et tenere velle didicimus, ut illi et omnibus scriptum est: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (Eccl. x, 4). Spiritus enim potestatem habentis spiritus est superbiæ locus autem noster est humilitas, quam a se vere locus munitus et turris fortitudinis nos discere jubet: *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 19); quamque pro loco tuto contra elationis ac jactantiæ spiritum, præfatum religiosum virum obnixè tenere velle audivimus, et pro certo credimus, et idcirco discredimus ista capitula ab eo confecta: quia prætermisissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen cum archiepiscopis est ibidem jactanter, ut quibusdam videtur, expressum; et quod quam maxime in hoc ipse collaboraverit, quasi e regione sit sensum, ut etiam cum archiepiscopis major cæteris et doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino, qui in conciliis Africanis scientia et labore ac vigilantia major exstitit, nequaquam invenimus. Nam et ipse sanctus Augustinus non solum se cæteris coepiscopis privatam gloriam quærens non prætulit, nec præferri permisit, verum se aliis supposuit, cum ipse plus aliis laboraverit, sicut in epistolis ad sanctum Innocentium papam scriptis, et ad alios apostolicæ sedis præsules, qui legere voluerit invenire valebit. Nec de ullo episcoporum in ullis conciliis taliter legimus, nisi forte apostolicæ litteræ propter evidentem causam aliquem coepiscoporum ad hoc negotium cum archiepiscopo suo ex nomine designari decreverint, sicut de Augustodunensi episcopo in epistolis beati Gregorii legimus; quanto magis iste religiosus et vir cautus in hujusmodi se efferre noluisse aut præferri, despectis ac prætermisissis cæteris coepiscopis, permisisset? Iluc accedit

quia fratres nostri et consacerdotes surda aure non debuissent transire Salomonis dictum commonitorium, si ex nobis aut auditu aut scripto quiddam sinistri secreto accepissent, ut præpropere illud in publicum, quacunq̄ mobilitate nostra moti, unde non sumus conscii, ad contentiones et jurgia propalarent. Ait enim: *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum* (Prov. xxv, 8).

Scimus tamen quia sunt nonnulli qui, dum plus sapere quam oportet sapere student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Unde per se Veritas admonet dicens: *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (Marc. ix, 49); ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus a pace concordie nunquam recedat. Unde terribiliter Paulus admonet dicens: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (Heb. xii, 10). Præcipue autem nos eam servare et persequi, id est perfecte sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, et veritate contestante specialiter quasi præcipimur, ut si offeramas munus nostrum ad altare, et ibi recordati fuerimus quia frater noster habet aliquid adversum nos, relinquamus ibi munus nostrum ante altare, et eamus prius reconciliari fratri nostro, et tunc venientes offeramus munus nostrum (Matth. xv, 23). Ecce ductor et doctor noster a discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hic ergo perpendendum est, quantum sit malum discordiæ, propter quod et illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos adversus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt. Sed credendum est si illa scripsissent, ad nos, contra quos illa scripserant, transmisissent. Nunc autem illis quomodo rescribere possumus, cum utrum illa scripserint ignoremus?

Verumtamen ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis de cujus manu illa accepimus, corde, ore, et stylo, non formidantes carpentium nos derogationem, respondere curamus. Primo scilicet mittentes ea quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc ante alia fuisse conscripta reperiantur. Sed quia hæc in suggillationem nostram et contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum judicavimus ponere, quæ majoris nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter tamen synodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa quæ a pluribus et per aliorum manus de pluribus ex his causis accepimus, propter quam necessitatem ex catholicorum Patrum, ut diximus, sensibus et verbis capitula illa quatuor excerpere procuravimus, ea condicione ut de singulorum scriptis ex singulis sententiis quæ in a nobis excerptis capitulis continentur, quædam prout necesse viderimus ponamus. Post hæc, capitula a nobis excerpta de Patrum sensibus et verbis, ut illa excerpimus, ponere procurabimus. Et si divinis et authenticis

Scripturis, et catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, sanctæque Romanæ sedis fidei, et orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, et qui ab eadem apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter ac devote studebimus: quia aliorum ad stipulandum nostræ catholicæ intelligentiæ sensum sententias recipere nec proferre voluimus, cum constet illud esse verum atque catholicum quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, et universalis Ecclesia duxerit ad probandum. Et si qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei sinceritatem illorum sententias non recipimus, neque proferimus, nisi quorum sententias ipsa catholica mater Ecclesia decrevit esse probabiles. Si autem et aliqui emergerunt qui doctrinalem cathedram tenuerunt, postquam ab eadem sancta sede canon sacrarum Scripturarum, atque doctorum catholicorum, fidelibus cunctis est datus, qui aliter senserunt, quam ipsi intellexerunt atque docuerunt, quos ipsa mater catholica suo orthodoxo sinu recepit, amplectitur, atque fovet, nec debemus, nec necesse habemus, ad auctoritatem sententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in istis et per istos satis ad salutem habemus. Et si qui aliter quam isti maturiore et saniore documento tenendum docuerunt, dogmatizant aut dogmatizare præsumperunt, totum ducimus fidei et saluti adversum quidquid ab eorum salubri doctrina constat esse diversum. Eorum etiam sententias qui divina dignatione, postquam ipse canon a beato Gelasio conscriptus est, sensu et doctrina catholica et sanctitate conversationis in Ecclesia floruerunt, et ab ipsorum orthodoxorum Patrum, qui in eodem canone adnotati sunt, fidei quia catholica doctrina nihil dissonum, nihil diversum scripserunt vel docuerunt, reverentia pari amplectimur. Veluti venerabilis Bedæ presbyteri, a discipulis sancti papæ Gregorii catholica fide imbuti, et a sancto Theodoro archiepiscopo, utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ, perito, et a sancta Romana Ecclesia ad Anglos post discipulos beati Gregorii ad eruditionem transmissis, non mediocriter instructi, ac venerandæ memoriæ Paulini patriarchæ Aquileiensiis parochiæ, atque Alcuini viri religiosi et docti. Quorum fidem et doctrinam apostolica sedes Romana non solum benignissime accepit, verum et multis laudibus extulit, sicut in scriptis ipsius sanctæ sedis invenimus, quæ Ecclesiæ nostræ ab eadem Ecclesiarum matre acceperunt tempore divæ memoriæ Caroli imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, et ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa. Sed et eorum scripta qui legit, quam sint laudanda et recipienda intelligit. Denique si talium, ut diximus, sententiis concordari capitula quæ excerpimus demonstrare non potuerimus, parati sumus doctoribus et catholicis aurem accomodare, sensum subdere, et sine contentione nos

doctrinæ illorum subicere. Et quia libellum de scri-
nio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii sine no-
mine auctoris suscepimus, in quo singillatim per
loca singula capitula a nobis excerpta sunt posita, et
assensu illius, quisunque ille fuerit, reprehensa sunt
et damnata, cum de catholicorum Patrum dictis
nostra capitula si poterimus confirmare curabimus,
ipsius etiam reprehensiones ponemus, et eas, quan-
tum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc
demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum

A quinto, unde notam nobis quasi tacite et e latere
impegerunt, quod in Gothescalci scriptis invenimus
postquam capitula quatuor sæpe memorata excer-
psimus, et quid inde sentiamus, Domino inspirante,
dicemus. Et sic tandem subjiciemus illa decem et
sex capitula pro quibus de Scotorum pulibus con-
fratres nostri, sine culpa nostra, in hac duntaxat
causa nos pascere decreverunt, et quid de eisdem
capitulis sentiamus, ex catholicorum Patrum sensi-
bus ostendemus.

HINC MARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

PRÆFATIO SUBSEQUENTIS OPERIS

Omnes in quorum manus hoc laboris nostri opu-
sculum venerit, supplici devotione per charitatis
viscera postulamus ut quoniam de ipsis schedulis
notariorum ante emendationem, instante domino
nostro rege Carolo, sub celeritate illud transcribi
fecimus, et idcirco in locis plurimis eradi et emen-
dari quædam necessitas compulit, si nacta occasione
aliquis æmulus recta hinc eraserit, et forte prava
superinduxerit, aut scriptorum imperitia secus tran-
scripserit, alienum nobis errorem non imputent.
Sed collecta hic a nobis testimonia catholicorum
inspicientes, quorum doctrinam sensu, ore et manu,
quantum dat Dominus, sequimur, aut superseminata
ab inimico zizania in medio tritici evellant et col-
ligant, aut si tantum adhibere dignati fuerint stu-
dium, per quemcunque illis placuerit paucis litte-
rulis hæc innotescendo, de Ecclesiæ Rhemensis
archivo unde dubitaverint, relevare procurent. Et
cujus dignationi hæc quæ sequuntur transcribere
complacuerit, hanc etiam postulationem conscribi
quæsumus faciat. Quæ ideo dicimus et precamur
quoniam et olim Nestorium Constantinopolitanum,
et Macarium Antiochenum episcopum, de scripturis
authenticis ac sanctorum dictis quædam interrasisse
atque corrupisse prodentibus gestis comperimus. Et
sicut ipsorum qui interfuerunt concilio relatione
didicimus, quando divæ memoriæ domnus Carolus
Felicem, infelicem Orgellitanæ civitatis episcopum,
synodali decreto hæreticum comprobatum atque
damnatum comperit, etiam revictum invenit quia,
corrupto muneribus juniore Bibliothecario Aquen-
sis palatii, librum beati Hilarii rasisit, et ubi scrip-
tum erat quia in Dei Filio *carnis humilitas adoratur,*
immisit carnis humilitas adoptatur. Sed et sicut
mox lector inveniet, sermonem Flori de prædesti-
natione nuperius editum non incerto indicio credi-
mus depravatum.

In capite indiculorum sequentis operis sermonem
Flori, quem mutuante Heriboldo, quondam Antis-
iodorensium venerabili episcopo, in synodali con-

B ventu apud Bonoilum transcripsimus, et post re-
versionem de tumultu Brionensi, quodam offerente
clerico, ex scrinio Ebonis, sicut ipse dixerat, vene-
rabilis Gratianopolitani episcopi accepimus, inte-
grum hic ponere dignum duximus, quia et con-
structione et sensus veritate caute incedit, exceptis
duobus locis, in quibus eum ita dixisse non credi-
mus sicut in eo scripto invenimus quem de scrinio
venerabilis Ebonis accepimus, cum in aliis sic ca-
tholice dixerit, sicut patebit legentibus: maxime
quia in eodem scripto, quem per manus præfati He-
riboldi, sicut ad se a prædicto Floro transmissum
accepimus, aliter invenerimus quam in isto quem
postea accepimus, reperiamus. Quæ de re immuta-
tum ab aliquo suspicamur. Quæ loca, antequam ser-
monem illum scribere adoriamur, specialiter desi-
gnare curabimus. Ubi enim dicit: « Sed quos præ-
scivit et prævidit malos atque impios futuros proprio
vicio, ipse eos prædestinavit ad æternam damna-
tionem justo judicio; » in illa rotula scriptum habe-
tur quam de Heriboldo accepimus: « Sed quia eos
præscivit et prævidit malos atque impios futuros
proprio vicio, prædestinavit ad æternam damna-
tionem, qua ipsi punirentur justo judicio. » Et in
eo loco ubi scriptum est: « Non enim ille aliquem
prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem ma-
lum prædestinavit ut impunitus non esset; » inve-
nimus in rotula quam a prædicto Heriboldo acce-
pimus: « Sed vere prædestinavit pœnam, ut omnis
malus impunitus non esset. » Quod in sequentibus
ipse demonstrat dicens: « Pœnam eorum et præ-
scisse, quia Deus est, et prædestinasse, quia justus
est. » Cætera catholici lectoris judicio derelinqui-
mus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro po-
nere necessarium duximus, quia ex eo confictor in
proximo subsequentium capitulorum duo capitula
de præscientia et prædestinatione, confuso et præ-
postero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo ca-
pitulo studuit compilare, sicut qui hunc et illa lege-
rit aperte intelliget.